

Aktenstücke

zur Wahl

Christophs von Bellinghausen
zum
Abt von Corvey 1678.

Bon
Xav. Schrader, in Natzungen.

1. Das Wahlinstrument.

(Aus den Consistorialacten der Bibliothek des Fürsten Chigi zu Rom.)

In nomine Domini. Amen.

Omnibus et singulis praesens hoc publicum instrumentum visuris, lecturis aut legi audituris pateat, quod per deplorandum obitum gloriosae memoriae R^{mi} et Celsissimi Principis Christophori Bernardi Epi. Monasteriensis necnon Administratoris Corbejensis, vacante imperiali ac libera abbatia eadem Corbejensi ordinis S. Benedicti congregationis Bursfeldensis in inferiori Saxonia, capitulum totusque conventus eiusdem ecclesiae die 17 stil. nov. mensis octobris anni millesimi sexcentesimi septuagesimi octavi, inductionis Romanorum primae pontificatus autem S^{mi} in Christo Patris ac Dni. nostri D. Innocentii divina providentia Papae eius nominis XI, eius vero regiminis anni secundi hora octava antemeridiana comparuerint in conclave (ut vocant viridi), praesentibus R^{mis} DD. D. Ambrosio abbe Mariaemunstrensi dioeces. Paderbornens., item D. Mauro abbe Iburgensi dioeces. Osnabrugens., in ordine ad tractandum de instanti electione novi abbatis,

praedictusque D. abbas Mariaemunstrensis me notarium publicum infra scriptum cum R. P. Martino Ververs professo ad S. Pantaleonem Coloniae ss. theologiae licentiato ac lectore ad S. Michaelm Hildesii, ac R. P. Anselmo Schuller professo in Ringelheimb utroque ordinis S. Benedicti uti testibus nomine totius capituli requisierit, quominus actui electionis una cum praedictis testibus interesse omniaque et singula, quae agerentur, diligenter et fideliter in notam sumere et desuper instrumentum vel instrumenta tot et toties, prout opus fuerit, confidere et extrahere vellem, consuetumque iuramentum mihi et testibus obtulerit, quod quoque a singulis praestitum est; quo peracto deliberatum est de die, hora et loco celebranda electionis determinatumque est de die proxima sequenti post cantatum hora sexta sacrum de Spiritu sancto in conclavi vulgo viridi, ubi tractatus et conventiones capitulares frequenter haberi consueverunt, eam servandam.

Die sequenti XVIII octobris cantato circa sextam sacro solemini de Spiritu sancto a Rmo. D. praelato Mariaemunstrensi, ac sacra sinaxi ab omnibus electoribus sumpta, citati omnes campana capitulari comparuerunt in loco supra memorato, reproductaque est citatio edictalis ad valvas ecclesiae et abbatiae affixa, ac postquam ego monitus de servando secreto fideliterque peragendo officio meo, Dnus. praelatus Iburgensis omnium electorum nomina et cognomina e schedula, quam manu gerebat, alta voce recensuit, singulis ad proprii nominis auditio nem assurgentibus. Nomina autem electorum erant, quae sequuntur:

- Florentius von dem Felde, prior,
- Fridericus Henchhausen, subprior,
- Georgius Brabeck, senior,
- Ferdinandus a Metternich, praepositus Montis Martis,

Petrus Charmans, pastor in Lüchtringen,¹⁾
 Franciscus de Renesse, praepositus Meppensis,
 Joannes Werner, vicecuratus in patria Juliacensi,
 Ferdinandus a Karstedt, praepositus in Brenck-
 hausen,
 Justinus a Metternich,
 Christophorus a Bellinghausen,
 Anselmus a Holthausen,
 Franciscus a Holthausen,
 Adelhardus a Bruch,
 Oswaldus van der Voorel,
 Stephanus van der Voorel,
 Nicolaus a Zitzwitz,
 Anscharius a Nenodt, sacrae theologiae professor,
 Gasparus a Stahl,
 Ernestus a Hugepoth,
 Wilhelmus a Dammergissidt, cellarius,
 Johannes a Wimar, sacerdotes,
 Vitus a Kessel, diaconus,
 Arnoldus a Kanne, diaconus,
 Placidus a Rehnen, diaconus,
 Warinus Jelekmann, subdiaconus.

Omnis simul XXV, inter quos unus P. Johannes Werner, pastor in Birgein, comparuit per procuratorem R. P. Petrum Charmans, professum Corbejensem, pastorem in Lüchtringen, cuius procuratorium lectum publice ac communiter admissum, atque tam ipse quam omnes alii praesentes habiles iudicati sunt ad eligendum, praedictusque D. praelatus Mariaemunstrensis brevem sed efficacem super rei gerendae momento sermonem habuit, electores omnes, ut Deum solum, bonumque commune in mox futura electione pree oculis haberent, serio cohortatus. Quo finito lectum est caput ex regula S. Benedicti

¹⁾ 1670--1680.

de ordinando abbate, praemissisque psalmo et oratione consuetis facta est protestatio contra excommunicatos, interdictos ac alio quocumque modo inhabiles.

Deinde deliberatum est de via et modo instituendae electionis ac placuit omnibus via scrutinii assumptique sunt de et a gremio communi omnium beneplacito tres scrutatores:

R. P. Fridericus Henchausen, subprior,

R. P. Georgius Brabeck, senior et

R. P. Gasparus a Stahl.

Qui praestito iuramento consueto de officio suo fideliter ac secreto peragendo, ad exedram ad hoc specialiter praeparatam mihi testibusque associati assederunt DD. praelatis praesidentibus similiter fidelitatem et taciturnitatem sub iuramento promittentibus, omnes quoque electores sigillatim manu ad codicem Evangelii admota consuetum iuramentum, qui eo peracto de loco exiverunt. Post haec praedicti scrutatores vota sua invicem successive scrutati sunt, videlicet duo posteriores primum, primus et tertius secundum, primus et secundus tertium, secrete et sigillatim praemissaque mutua adjuratione votum sub formula sequenti expresserunt: Ego N. N. eligo vel potius consentio, ut eligatur in abbatem huius monastarii N. N. Denique praedicti scrutatores scrutati sunt secrete et sigillatim vota aliorum incipiendo a R. P. D. priore exceptisque a praedictis scrutatoribus omnium et singulorum eligentium votis oretenus ac secrete ac per me simul et ipsos scrutatores in scriptis redactis; mox senior scrutator eadem in communi publicavit sub hac forma: Adm. Rdi. DD. confratres, vota iam omnium praesentium collecta et numerata sunt per nos ad id specialiter deputatos coram notario et testibus inventumque, quod numerus eligentium cum numero suffragiorum conveniat, utpote ab utraque parte XXV.

Ex his tulerunt vota

- R. D. Nicolaus a Zitzwitz quatuor.
 R. D. Florentius (von dem Felde), prior,
 quinque,
 R. D. Justinus a Metternich duo,
 R. D. Christophorus a Bellinghausen qua-
 tuordecim:
 quorum vota rursus numerum XXV constituunt.

Subsecutaque plena diligent ac accurata collatione numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum inventum est, quod maior et sanior pars uti ex XXV quatuordecim consenserint, ut eligeretur in abbatem A dm. Rdus. et praenobilis Dnus. D. Christophorus a Belling- hausen, unde coram capitulo et conventu in loco supra memorato congregatis senior scrutator suo reliquorumque interesse habentium nomine communem electionem fecit sub hac forma: „Ad laudem et gloriam Smae. Trinitatis. Ego N. N. nomine meo et voluntate collegarum meorum scrutatorum et confratrum meorum coeligentium et consentientium invocata Spiritus sancti gratia eligo in abbatem huius monasterii electumque tam in scriptis quam verbaliter solemniter pronuntio R. D. Christophorum a Bellinghausen, in quem maior et sanior pars convenit. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.“

Desuperque idem suo ceterorumque omnium eligentium nomine electi consensum requisivit, qui praemissa protestatione de oneris gravitate et tandem ea qua decuit modestia dignitatem oblatam suscepit, interea schedae omnes vota electorum continentis igni traditae atque in cineres redactae sunt. Quibus peractis sub hymno Ambrosiano electus solemniter deductus est ad ecclesiam ac super prostrato ante summum altare consuetae orationes a D. praelato Mariaemunstensi cantatae sunt, fuitque electio praedicta a seniore scrutatore populo publicata. Actum et datum sub anno Dni. die et mense

ut supra, extensione ulteriori tamen semper salva praesentibus ibidem testibus supra memoratis.

Ego Johannes Marci sacra apostolica et caesarea auctoritate uti ad hunc actum electionis specialiter requisitus notarius juratus praemissis omnibus et singulis, dum sic ut praemittitur fierent et agerentur, una cum praenominatis DD. testibus a principio usque ad finem praesens interfui, eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, idcirco praesens hoc publicum instrumentum manu alterius (me interea aliunde legitime impedito) scriptum, exinde ad requisitionem Venerabilis conventus imperialis et liberae ecclesiae Corbejensis fideliter in hanc formam publicam redegi et consueto notariatus signo et pyzeto subsignavi et nomine meo proprio subscripsi debite requisitus, extensione ulteriori tamen semper salva, anno ut supra.

Johannes Marci apostolicus et caesareus notarius Hildesheimensis manu propria.

Loco (†) sigilli.

2. Die päpstliche Bestätigung des Erwählten erfolgte im folgenden Jahre durch Innocenz XI; der betreffende Vermerk der Acta Consistorialia aus dem Archiv der S. Congreg. Consist. zu Rom lautet:

Feria 2. 10. April. 1679.

Referente Rmo. Dno. Cardinali Pio, Sua Sanctitas confirmavit et approbavit electionem factam a conventu et monachis monasterii S. Viti Corbejensis ord. S. Benedicti, vacantis per obitum bo. mem. Christophori Bernardi, dum vixit, Epi. Monasteriensis et dicti monasterii ultimi commendatarii extra Romanam Curiam defuncti, de persona R. P. Christophori a Bellinghausen, monachi

eiudem ordinis, fidem catholicam expresse professi,
aliaque habentis, ipsum illi in abbatem praefecit,
curam . . . committendo cum suppletione omnium de-
fectuum, si qui quomodolibet in ipsa electione interve-
nerint, juxta decretum Congregationis rerum Consistoria-
lium ac cum decreto, quod antequam possessionem
adipiscatur, fidei professionem emittere et ad urbem
infra praefixum tempus transmittere teneatur.